#### Tractatus anatomico-chirurgicus inauguralis de aneurismate / Heathfield Tregonwell Frampton.

### Contributors

Frampton, Heathfield Tregonwell, 1782?-1831. University of Glasgow. Library

#### **Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1819.

#### **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/kd5ww7a6

#### Provider

University of Glasgow


#### License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org




Fe\_b\_ 40 D= Thomson With the author's respects -482-1887 Cc4-c. 14











Digitized by the Internet Archive in 2014


https://archive.org/details/b21452532

# TRACTATUS ANATOMICO-CHIRURGICUS

# INAUGURALIS

DE

# ANEURISMATE.



# TRACTATUS ANATOMICO-CHIRURGICUS INAUGURALIS

DE

# ANEURISMATE,

PERBREVISSIME PERSTRINGENS EJUS HUCUSQUE COGNITAS NATURAM ET MEDELAM;

QUEM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE, EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI D. GEORGII BAIRD, SS. T. P. ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI :

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

# Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HEATHFIELD TREGONWELL FRAMPTON, ANGLUS:

Ad Calendas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI: EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

TRACTATUS ANATOMICO-CHIRURGICUS

INAUGURALAS

# ANEURISMATE,

TO A REALESSANCE PERSONNERS BILL BUCUSEDE

AMMANTA SURAD MORENE, AL ANCTORITATE REVERENDE ADRODOM VIE GEORGII BAIRD, SS.T.P ACADEMAR REPAREDERS FRAFFICTE.

SPRINSED SENATUS ACADEMICI CONSERSE, RESOLUTION STREET, RESOLUTION FACULTATES MEDICE DECERTO:

no Gradu Poctoris,

NIVE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILICITY

ATRIFIC TREGONWELL FRAMPT

Id Calendan Argunti, hard focoger califi

EDINSUNGI /

# RICARDO CLEMENTI HEADINGTON,

ARMIGERO,

NOSOCOMII LONDINENSIS CHIRURGO,

ANATOMIE, PHYSIOLOGIE, ET CHIRURGIE, PRÆLECTORI.

**T**UA consilia, solatia, et hortamenta, Amice unice, unice dilecte, rebus quondam dubiis me, ah nimis anxium, sed mentem recti consciam, nullaque pallescentem culpa, quibus absentibus væ solum miseris, illæsum inimicorum telis eripuerunt. Tria Tecum vitæ lustra arctissime consociatus exegi, et rebus duris nova moliri coactum me pene confecit a Te dissociandi necessitas, sed manet semperque manebit Tui caritas, adhucque duro spe Tecum mutuis officiis multos exigendi annos. Hæc pauca e corde intimo præfans Tibi do, dico, consecroque hoc tentamen inaugurale, timore abjecto, vitiis quamvis multis abundet et judicis peritissimi oculis objiciatur, perbene tamen sciens quam multis veniam dabit Amicus.

# ANEL PASSIN ATEL

. Anon arrith bisastantes of Landsbeak

NATOMIA, PRESIDEDDIE, BT CHISUBOLE, PRELECTORI.

Tou consist static, et toursand, faire inite acies difette retur quantum dubits and al minis anatum, set menten reti conscion, milaque palleceratom cuipa quibas altrai trans an eduar acierra, illanas inimiterator cuipa quiba altrai trans aita fautra oretistime consociato etagi, et retur dura nora mairi constan en parc impleti a Te discriminale cudaro que Perma antun engerque nambie dei cuimerata, vilimenta panca e corde intino propinis visita de deis, cuimerana dei cui distri mangarade, tinore algénis visita de deis, cuimerane deixes districe partienes interes algénis visita de deis, cuimerane deixes distribuenta antinice algénis visita de deis, cuimerane deixes distribuenta antinice algénis visita de deis, cuimerane de deixes distribuenta antinice algénis visita de deis, cuimerane de deixes distribuenta acide de de de de de cuimerane de de des distribuenta antinice antinice algénistico, produces tandos alemán

# TRACTATUS ANATOMICO-CHIRURGICUS

### INAUGURALIS

# ANEURISMATE.

H. T. FRAMPTON Auctore.

LNTER morbos Chirurgia hodierna illustratos eminet Aneurisma; hoc sane vere dici potest, si vel naturæ ejus explicationem vel medelam spectemus. Doctor NICHOLS et Archichirurgus WISEMAN jam olim quasi germen severunt Aneurismatis naturam explicandi, sed aliis eorum temporibus neglectum nihil profuit. Recentiore memoria JOHANNES BELL et Professor SCARPA fusius naturam ejus ante oculos posuerunt. Quod spectat medelam, inter primos extitit JOHANNES HUNTER, vir et ingenio et consilio præstantissimus, inter illius posteros, FREER, MAUNOIR, ABERNETHY, et nulli secundus a lonitare A

secundus ASTLEY COOPER, eandem provexerunt. Confitendum est his viam non solum patefactam, sed pene tritam fuisse ; prælectionibus autem quas per sedecim annos edidi, sedulo inter alios eum perscrutatus sum morbum, ut vera discipulis monerem ; et mihi sæpe contigit autopsia propria ad incudem reddere eorum sententias. Quapropter mihi pensitanti Thesin inauguralem pro Gradu Doctoris statutum est Aneurisma ut exemplar in medio proferre Professoribus hujus, meæ si palmam meruerim Almæ Matris, Academiæ, ut si non alio, saltem argumenta cumulando naturam ejus explicarem. Presse autem tractare necesse est, ut coram judicibus omni doctrina imbutis et quorum de pectoribus plenis omne supervacuum manabit.

Aneurisma apparet sub speciem tumoris variæ magnitudinis, plus minusve circumscripti, aliquando sed raro omnino diffusi, plerumque superpositi, semper vicini arteriæ fere magnæ trunco, manui digitisve comprimentibus ictus pulsatilis sensum imprimentis, cordis et arteriarum pulsu synchroni, appresso autem, si locus datus sit, arteriæ trunco inter cor et tumorem extincti,

extincti, appressione ablata statim redeuntis. Tumor, non nisi raro et advectiore progressu, plus minusve manifeste fluctuat, compressus minuitur, compressione liberatus rursus paulatim grandescit, sed ut ictus pulsatilis, sic etiam ne rursus grandescat ab appresso arteriæ trunco, impeditur : augescit interdum gradatim, alias cito, nonnunquam intervallis plus minusve longis interpositis sine adjectione, et tunc subito post nisum quemdam insolitum auctus.

Diagnosis.—Aneurisma, præsertim in statu advectiore et in arteriis tertii generis vel minoris, pro apostemate censeri potest; casus historia, phlogosis præeuntis vacatione fere dignotum, sed non semper facilis, et aliquando in obscuro latebit diagnosis, ni animus dijudicantis symptomatis supradictis maxime attentus detur. Pro tumore arteriæ magnæ vicino vel superposito habeatur Aneurisma; sic glandula lymphatica aucta et præsertim in apostema abiens, glandula dicta thyroidea intumescens, pro Aneurismatibus decretæ fuerunt, sed raro et non nisi imperitis.

De

De causis et remotis et proximis post Aneurismatis sectionis descriptionem melius disseremus, ad quam nunc animum adhibebo.

Aneurismatis post mortem sectio anatomica monstrat saccum laminis sanguinis coacti impletum, extimis solidioribus et glutine, intimis minus concretis et cruore constantibus; aliquando cruorem continentem. Inter sacci et arteriæ vicinæ cava semper patet via ab alio ad alium ducens, speciem oris variæ magnitudinis, plerumque arteriæ et sacci parietes dilucide discernentis, inter quos aliter sed raro vix dignoscendum est. Saccus arteriæ vicinæ superponitur, nunquam eam cingit. Quod spectat arteriam, saccum juxta præteriens omnino immutata, lumine præter naturam excepto, sacci cavum adeunte, apparet ; interdum ejus parietes crassiores, vi resiliendi naturali perdita, et etiam osseis squamis facie interna obductis, (squamæ hæ osseæ omnino abhorrent ab ea in os conversione quæ membrorum arteriis ætate provectiore supervenit, vere morbosæ sunt, ea autem conversio senio pendens non nisi sit senium morbus morbosa vere haberi debet), et vi resiliendi

4

liendi perdita arteriæ alveus generatim dilatatus est. Arteriæ parietes sacco adjunctæ, interdum compressæ, retroversæ et complanatæ, sacci parietibus discerni nequiunt, et re sic habente, lumina duo, aliud ab arteria cordi proxima ad sacci cavum adiens, aliud ab sacci cavo ad arteriam corde remotam abiens, apparent. Quibusdam in arteriæ magnæ (aortæ) aneurismatibus, septum haud diaphragmati absimile, inter arteriam dilatatam et saccum os per quod coëunt cingens videndum est. Sacci parietes indagati, a vagina arteriarum cellulosa, musculis, ossibus, fasciis, cute, visceribus vicinis, prout situm et plus minusve provectum sit, fabricati reperientur. Tunicam mediam fibrosam, extimam cellulosam vel potius filamentosam, aneurismatis parvi nascentis, sed nunquam intimam sacci parietes componere vidi. Hæc de aneurismatis fabrica anatomica dogmata, ab exemplis quamplurimis in cimelio carissimi amici R. HEADINGTON collectis, et memetipso quibusdam sectis, omnibus sæpe indagatis, erui. Fatendum est minime abhorrere ab iis in J. BELL.

BELL, SCARPA et aliorum scriptis, sed autopsia propria eruta sunt.

Causæ Remotæ. 1. Prædisponentes.—Arteriæ fabricæ morbosa conversio, diruptioni opportunam reddens, in numero causarum prædisponentium recte habetur; sed diversa est, ut, e.g. a. Vis resiliendi amissa, quæ osseis squamis arteriæ faciei internæ obductis plerumque stipatur. Clarissimus J. HUNTER has squamas potius molimen virium vitalium ad arteriam roborandam, et adeo sequelam aneurismatis, censebat, sed ut mihi liquet omnino sine veri specie. b. Arteriæ parietes crassiores redditi, perdita simul vi resiliendi. c. Secundum Scarpa arteriæ parietum in steatoma conversio et degeneratio. d. Nulla interdum causa prædisponens apparet.

2. Causæ excitantes.—Omnia sanguinis motum præter modum subito incitatiorem reddentia causas excitantes adhibeantur, ut tussis convulsiva, nisus violentus, et similia. Aneurismatum duo novi exempla in aorta abominali diaphragmati vicina, nisibus violentis statim orientium; singulis sensu cujusdam interno corpore subite

6

subito disrupti concomitato. Alterum nautæ velis legendis turbine, alterum milite gregario supplicio damnato, ligato et renitenti supervenerat; neutroque aliter ac dirupta morbosa fuit arteria. Ictus aliæque injuriæ partibus arteriis magnis cingentibus facti aneurismata excitant. Usus nimis et motus vehementes articuli arteriæ magnæ vicini aneurisma excitare autumatum est, ut genuum in equorum præductoribus arteria poplitea; sed mihi non constitit.

Causa Proxima.—Causa proxima ut fere definita est potius morbus quam ejus causa; sed de ea ut scholarum doctrina sacrossancta disserere necesse est. Hoc leviter perstricto, causa aneurismatis proxima procul dubio mihi, ut SCARPA aliisque nunc plurimis, constat arteriæ parietum disruptio vel laceratio esse. Interdum hæc disruptio omnium subito et semel facta est arteriarum tunicarum; alias intimæ solum initio, et tandem sensim intervallis diversis interpositis aliarum, dilucide exponens quomodo distinctæ glutinis laminæ earumque diversæ species oriuntur. Arteriæ dilatationem aneurismati sympathicam concomitare descriptum fuit, sit ne hæc

hæc dilatatio partim causa proxima, annon? mihi non liquet; causam prædisponentem autumo, sed nunquam non diruptis arteriæ intimæ vel aliis tunicis aneurisma nasci credo.

Aneurismatis Situs.—Iis arteris quæ anfractibus posituve sanguinis impetui incitatiori obnoxiæ sæpius oriuntur, ut e.g. aortæ arcu, arteria poplitea, arteria subclaviana, aorta abdominali, arteria inguinali, arteria carotide, et ne quid nimis arteria magna non est non nisi opportuna, morboque prænomen inditum ab arteriæ nomine in qua situs sit ductum.

Ætas et Sexus.—Quod spectat ætatem, adolescentes adultosque potiusquam senes; sexum, viros præ fæminis, invadit aneurisma.

Progressus et Therapeia.—Ut de progressu et therapeia simpliciter agatur, multum proficiet aneurisma in duas distinguere varietates, quarum unicuique nomen prout sita sit indatur, videlicet, Aneurisma *internum* et *externum*. Aneurisma designatur Internum, quod arteriæ in

in trunco corporis capiteve internis nascitur, et nunc aortæ (thoracicæ et abdominalis) iliacarum communium, subclavianarum et carotidum internarum earumque ramorum aneurismatibus solum attribui queat; alia adeo omnia sub nomine Externorum complectuntur.

- Internum .--- Ut aneurismatis interni progressum therapeiamque intelligamus, fingatur illud in aortæ arcu positum. Hoc concesso, initio aneurisma vix aut ne vix quidem ab aliis cordis et sanguinis circuitum perturbantibus mort bis dijudicatur, cor more insolito micare et quasi palpitare ciet, tracheam et pulmones angens respirationem solicitat, tussim vel tussiculam sæpe provocans, et non raro æsophagum premens dysphagiam efficit ; denique tumor plerumque externus iis jampridem monitis signis ex fumo dat fulgorem, et non amplius dubitari sinit. Tumore adaugescente nunc primum partes ei vicinas, ut pulmones, tracheam thoracisque parietes premit vel extendit, vasa tandem absorbentia carpere incitat. Plane quidem singulare et notatu dignum est, costis vertebrisque implicatis, partes earum osse confictas facile et sem-

9

per

B

per vasis absorbentibus absumi, cartilagines et materiem intervertebralem nihil pati. Peculiare hoc in eo constat, materiem intervertebralem sæpe in morbo ea ipsa nascente erosioni, id est veræ absorptioni obnoxiam esse, vasis itaque absorbentibus ei non deficientibus. Ingravescit morbus et denique ægrum miserum conficit, at diversis modis, e.g. subito sanguinis profusione, dirupto sacci pariete in cavo pericardii, in canale œsophagi sanguinis vomitu, in pulmonum vesiculis aeriis, bronchiisauttracheasanguine per tussim rejecto, et suffocato ægro, raro externo corpore dirupto tumore et externa sanguinis profusione. Horum singulos novi eventus, sed plerumque protractiore modo enecat, munera vitalium viscerum angens et præpediens ægrum miserum ømni labore vel voluptate arcet, et tandem sic cruciat, ut mors non solum non optanda sed etiam grate accepta fuerit.

Therapeia.—Sanguinis motum quam minime incitatum efficere, imo cor, dummodo micet, quam maxime debilitare, manifeste indicatum est, ut sanguis in cursu proprio retineatur, et arteriæ diruptæ reficiendæ copia facta sit. Annos intra

intra paucos his indicatis agendis de novo conatus est PELLETAN, Chirurgus Nosocomii Lutetiæ cui nomen inditum *Hotel Dieu*, methodo medendi jampridem aVALSALVA instituta, scilicet sanguinis detractione quam maxime larga, iterum identidemque repetita, ægro operam abnegante, reclinante, et ad prescriptam victus rationem degente. Raris exemplis scopum attigisse fertur. Hæc methodus nostratibus medicis chirurgisve ni fallor non experta fuit, pro minore nisi cum digitalis usu conjuncto, ita ut ægrorum dolores tantum leniret, vel saltem Averni descensum minus asperum redderet.

Aneurisma externum.—Rebus dubiis, quibus subveniendis vix et ne vix quidem nos penes est, lubenter animum ad eam morbi speciem vertimus, cui occurrendæ non magis enitet consilium quam exequendi audentia; nunc aneurisma externum cognoscendum, quo intelligendum arteriæ magnæ plerumque amplioris membri cujuslibet et aliarum quarundam aneurisma posthac paucis seorsum disserendum. Interni aneurismatis instar natum, interni ni impeditum instar exiturum, sicut raris indicatum fuit exemplis. Tumor

Tumor nisu violento ictuve subito proveniens, plus minusve rapide crescens, jam ab initio visu tactuve manifestus, signis omnibus jampridem monitis præditus, telam cellulosam, fasciam, musculos, subindeque cutem parietibus invicem connectens, et demum ad externum viam ei patefacientibus vasis absorbentibus, sanguinis profusione, ni occursum fuerit cita veniret mors. Exemplis admodum paucis in meliorem abiit partem morbus, arteriæ canale clauso, ne ulterius progrediatur impeditum, sub vasorum absorbentium vim sensim evanescente tumore æger integer evenit. Quomodo fiat arteriæ canalis clausus monuit Hodgson, sanguine congesto diversis modis arteriam comprimente; ut mihi abs re fuerit plura de co disserere, pauca tantum citabo exempla, ex opere cui nomen inditum, " Transactions of a Society for the Improvement of Medical and Surgical Knowledge," descripta, ut e. g. carotum canalis clausi exemplum, et verisimiliter olim earum aneurismatis a Doctore BAILLIE, arteriæ popliteæ a WILSON, arteriæ femoralis ab EVERARDO HOME, Archichirurgo et Baronetto. Quodam in exemplo,

eo

eo nempe a WILSON exhibito, supervenit sphacelus tumoris parietibus eique externis cingentibus partibus, sed sine sanguinis ut anxie expectata profusione, proculdubio impedita eodem quo evenit modo in gangræna sphacelove aliter nascentibus. Exemplum fama accepi aneurismatis poplitei in Nosocomio Londinensi A. D. 1815, in quo ruptus sacci paries priusquam cutem pervenerit, et sanguinis idcirco per telæ cellulosæ cellas diffusi, quo autem rerum exitu oblitus sum.

Aneurisma traumaticum.—Arteria magna cultro vel quovis instrumento ab externo icta plerumque sanguinem ita copiose effundit, ut manifeste ligaminibus deligari exigit, ne afflictum exinaniat et ad mortem ducat. Subinde autem si mucrone aliquo puncto fuerit vulnere externo parvo, vel si tentetur sanguinem reprimere vulneris oras comprimendo et coarctando, vulnus externum agglutinatum fuerit arteria icta vulnere reserato perstante, et sanguinem in vicinas partes effundente. Sanguis effusus fere saccum sibi efficit a vagina cellulosa, tela cellulosa,

losa, et vicinis partibus compressis, tumoris adaugescentis, pulsantis, fluctuantis, adinstar aneurismatis, speciem præbet. Exinde aneurismati quam simillimus est morbus, et in progressu et in medendi consilio, quod ei est, nisi perraro, adhibendum. Quamplurimis Aneurisma Spurium vocatur, sed mihi magis liquet Aneurismatis Traumatici ei indere nomen, ut e quo pendeat commonstrans. Aneurismatis sic si fas sit vocati Traumatici exemplum accepi multis jam annis præteritis in ancone accidentis, in quo sanguis effusus poros telæ cellulosæ permeavit, membrum totum magnopere tumefactum reddentis, sed denique recedente ecchymose et ægro integro eveniente. Non proculdubio quin sanguis effusus arteriam ictam compresserit, amplius effundere obstiterit, et vel claudendi vel reficiendi copiam dederit.

Therapeia.—Consilium aneurismatis externi medendi plane in hoc positum est, eo vim sanguinis impellentis diminuere, quo ne subinde ab arteria effusus sit, et idcirco arteriæ reficiendæ locus datus sit. Hoc ad exequendum

dum diversis quanquam methodis eadem fere ratione actum est, videlicet, sanguinem membrum alentem ab assueta, impedita, clausa, in novas flectendo vias. Rebus sic se habentibus morbus exinde sensim abibit, et æger revalescet. Hoc diversis dixi methodis exequendum tentatum esse, scilicet, fasciis perite applicatis adeo ut tumorem et arteriam magnopere, membrum totum modice apprimant, qua medendi methodo usi sunt Italici GENGA, GUAT-TANI, FREER Anglicanus \*, et etiam exitu quodammodo felice: etiam semel atque iterum arteria tantum appressa procul a tumore idoneo apparatu eodem agere consilio expertum est, parum autem prospere. Exemplum hujusce medendi methodi in aneurismate traumatico humerali ancone sito, adhibitæ a Doctore ADAMS cum felicissimo exitu, in aliquo inter priores fasciculos BRADLEY " Journal." Has methodos nunc quidem antiquavit operatio chirurgica quæ tum simplicior

\* Dr J. THOMSON'S Lectures upon Inflammation, p. 255. SCARPA on Aneurism, translated by WISHART. FREER ON a Case of Inguinal Aneurism.

simplicior tum certior est. Hac methodo cognoscenda, operationis Hunterianæ imprimis rationem reddam, et pauca de ea superaddam, quæ antea omnibus et etiam nunc quibusdam adhibita est exemplis.

Operatio Hunteriana consistit in arteriæ trunco, quo rupto nascitur aneurisma, incidendo et circumcidendo, eo quam minime læso, sed tantum vicinis partibus dissecto ut ligamine circumplicandi penes chirurgum sit. Quæ omnia sic procul ab aneurismate efficiuntur, ut vulneri ejusque sequelis non implicitum sit, sangninis autem ei aditu clauso, sub viribus naturæ medicatricibus redactum est, sensimque evanescit. Membrum sanguine per novas fluente vias alitum paulatimque restitutum, in pristinum usum redit, et sic medendi consilium perfectissime absolvitur. His de operatione generatim præfatis, nunc quædam sigillatim disseram ad eam-recte intelligendam et feliciter adhibendam pertinentia. Coram oculis omnia quæ magni intersunt reddemus si tempus, methodum operandi, et demum quibus rationibus impeditum expeditumve felicem exitum aperuerimus.

. Tempus

16

Tempus operandi .- Quod spectat tempus operandi, usque ad recentiorem memoriam decretum est differre operationem in morbi statum provectiorem, omnibus pene persuasis tumorem arteriam premendo sanguinem in ramusculos anastomoticos impellere, et eos patentiores, idcircoque ad membrum alendum plus pollentes reddere. Hæc speciem præ se veri ferentia redarguit res altius perspecta. Nam tumor ramusculos anastomoticos æque ac veterem arteriam premens, eos minime idoneos ad membrum nutriendum, et partes vicinas sibi annectens totum morbum minus penes vires medicatrices reddet. Prima pro aneurismate carotico operatio ab Ast-LEY COOPER adhibita, aliis omnibus secundis male successit, ob tumorem nimis auctum laryngem tracheamque prementem et eas phlogose inficientem. Cum COOPER sentio res aliter se habituras esse si operatio citius adhibita fuerit. Quomodo nunc fit, ut plurimis conventum sit, morbo procul dubio signato, et ægri valetudine aliter permittente, exemplo adhibendam operationem.

Methodus

C

Methodus operandi .--- Mensæ parcioris e regno vegetabili instructæ paucis ante diebus usu, et cathartici medicamenti pridie administratione ægro ad optatam valetudinem ducto, et tempore statuto toro recumbente, ad operandi methodum animum attendimus. Locus arteriam incidendi et circumcidendi ex his tribus pendebit, videlicet: Satis fuerit distans ab aneurismate, ut hoc tunc intactum et postea phlogosi ejusque sequelis illæsum maneat : hoc quam magni refert indicium est aneurisma inguinale, quod ab ABERNETHY operatione tractatum præ situ necessario implicatum et phlogose infectum idcirco male evenit \*: 2do, Ramusculi quam plurimi superfuerint ad membrum nutriendum. Experientia nunc docuit hoc non tanti interesse quanti olim videbatur: Stio, Arteria sic fuerit sita, ut opera sine magna et paucissimis vicinis partibus læsis, ante oculos ponenda. Arteria incisa et circumcisa exinde res ad ligamine circumplicandam spectat, quo probe absolvendo refert.

\* ABERNETHY Opera.

refert, ne ramusculus prope enascatur, sanguinem ligamini vicinum non coactum tenens, quo coacto materies adhæsiva, qua denique arteria claudetur cum illa viva fiat, et ad munus obeundum pollens, a sanguine impellente præmunitur. Me autem judice hoc non tanti refert, quanti re non facile permittente magni pendere debemus; sed solum si copia sit, parum licet prosit, non omittendum. Inter alia ad sanguinis profusionem reprimenda ligamen commonefacit CELSUS, monet etiam duo circumplicanda et arteriam venamve ictam sanguinemque profundentem intercidendam ut intra se coëant. Sed vis remedii omnino eum latuit, ferro quidem candenti posthabita. Longo post tempore remedium aliis omissum fuit, et etiam fortasse nunc dierum incognitum permanserit, ni PARÆO denuo in aperto prolatum fuerit, cui si non inventi, saltem reperti recte debetur palma. In aneurismate unicum ligamen ab HUNTER adhibitum fuit, sed sæpe ob sanguinis profusionem male evenit. Arteriam tensam, parte ligamine circumplicato vicina viva cingente tela cellulosa desectam, idcircoque non solum ad agglutinationem

tionem ineptam, sed potius ad ulcerationem et gangrænam obnoxiam, infausto supradicto favere perhibetur. His probe perspectis hac nostra patria ABERNETHY, et codem fere tempore MAUNOIR Geneva, analogia amputationis et aliis operationibus arteriarum deligandarum inducti, post quas raro accidit sanguinis profusio, in aneurismate duo adhibuerunt ligamina, et arteriam interciderunt, sic ut locus datus esset extremis præcisis deligatis intra se coëundis, et par-- tes ligaminibus vicinæ viventibus annexæ forent. Hæc methodus pene omnibus subinde usurpata est, ni quibusdam aliis rationibus non permissum fuerit. Annos ad intra paucos plurimi chirurgi latis, planis, et magnis ligaminibus usi sunt, linteo sericove textis, præ timorem arteriam secandi. Jam olim indicaverit DES-SAULT, ligaminibus semper sectam internam et mediam arteriarum tunicam; et recentiore memoria Doctores JOANNES THOMSON et JONES, ita se res habere non solum arguerunt, sed et etiam internæ mediæque tunicæ sectionem ad arteriam rite agglutinandam et claudendam prodesse. Quibus quam plurimi nunc assentientes

entes chirurgi omissis pristinis supradictis ligaminibus, parva, rotunda, et serico texta adhibent, quibus autumatum est sectionem arteriæ tunicarum minima fieri læsione, quam simillimam vulneri sincero scalpello acuto, et idcirco viribus medicatricibus accommodatiorem. Cum e contra æque patet sectionem latis planis ligaminibus effectam, multa læsione et contusione connexam, adinstar vulneris contusi et haud omnino pronam ad agglutinationem. SCARPA (mirabile dictu mihi videtur) alioquin de causa et natura aneurismatis præsciens deligandæ arteriæ methodo aliis cedit, et tempore quo librum edidit adhuc arteriæ tunicarum sectionem prætimens, multa operosa, inutilia, et etiam noxia de ligaminum constructione et administratione monuit. Veri appetens hæc tanto de viro perstringere ausus sum, absit invidia verbo; et nunc ad rem redeo. Perstat ægro discrimen quamdiu circa arteriam manent ligamina, partim ob vulneri agglutinando iis objectum impedimentum, partim ob animum chirurgi suspensum, ne dum perstent vulnus non agglutinatum tenentia, arteriam ad phlogosin, ulcerationem, et gangrænam

grænam opportunam reddentia ad sanguinis profusionem ducant. Ab hoc eripiendum ægrum periculo GULIELMO LAWRENCE propositum est, ligamina parva texta e filo serico, Anglice vocato Dentist' silk, adhibere, extrema nodo tenus præcidere, eorumque postea omni cura omissa vulnus nihil interposito agglutinare : quibusdam in exemplis ligamina hoc modo post amputationem aliasque operationes chirurgicas arteriis circumplicata quavis vi interna disparuerunt, et quomodo non clare patuit : res fausti est ominis, et me judice digna omni experientia, sed interea saltem aneurismate non satis perspecta, ut ad usum adhibendum monere audeam. ASTLEY COOPER eodem ductus consilio proposuit ligamina, ab Anglice dicta Cat-gut conficta, in aqua calida mollita, autumans minus imprimis fore lacessentia et postea magis sub viribus viventibus. Uno tantum exemplo adhuc usus est, videlicet, pro aneurismate poplitæo in sene miro exitu felice \*. Eadem ob discrimina et parvorum

\* Vide tractatum infra citatum.

rum rotundorum ligaminum adhibendorum rationibus supra redditis omnino non assentiens eximius chirurgus CRAMPTON, conatus duobus tribusve exemplis aneurismatum poplitis, ligaminibus omissis arteriam claudere adhibendo paucis horis instrumento Gallice vocato Presse Artère ; sed, ut mihi videtur, ligaminibus rite adhibitis posthabendum est. Mos est alterum ligaminis extremum nodo tenus præcidere, ut alterum solum e vulnere dependeat, et idcirco, ut dicitur, minus agglutinationem impediat; sed non magni refert, nam patet pro ligaminis decessu opus erit sinu nodi magnitudine æquante, et porro cognovi ligaminis decessum impeditum ob sinum non satis amplum et nodum bullis carnosis implicatum. Ligamina fere decidunt, intra decimum et decimum octavum diem, et aliis bene se habentibus, æger exinde e periculo evasisse censendus est; sed non semper, nam aliter novi.

Distributioni tripartitæ serviens, nunc pauca de operationis sequelis cum secundis tum adversis edisseram. Operatio probe adhibita hoc plerumque

rumque modo vento secundo cursum tenet; statim pulsare desinit aneurisma, membrum frigescit, movendi facultate caret, perstante plerumque sensu; paucas intra horas recalescit, et non raro supra gradum solitum : intra decimum et decimum octavum diem decidunt ligamina, sensim conglutinatur vulnus, paulatim evanescit aneurisma, integrum muneribusque solitis par evadit membrum. Huic felici eventui plurimis persuasum est, donec nuper, omnino necesse esse arteriam clausam reddere a loco quo circumplicata ligamina usque ad infra aneurisma; sed multis nunc exemplis non ita se habere patuit : horum tria mihi contigit videre, ex quibus duo, longo tempore post perfecte revaluerant, egometipse dissecando perscrutatus sum, et arteriam solum clausam inveni a loco ligaminis inferioris, ad proximum enascentem ramusculum parte superiore; et eodem modo cis ultraque aneurisma parte inferiore; inter autem ramusculos enascentes proximos ligamini inferiori et aneurismati sanguini perviam: in tertio exemplo, quod multum antea videram, membrum ob sphacelum amputare necesse fuit, et arteriam

arteriam poplitæam deligandam sanguinis ex ea profusio postulavit.

Sanguis membrum postea nutriens fluit per ramusculos anastomoticos universos nonnihil dilatatos, nunquam per unicum vicem pristinæ magnæ arteriæ supplentem. Hocque non sine veri quadam specie, secundum ASTLEY COOPER, abhorret a sententia de arteriarum singulari distributione in Lemoris tardigradi membris, ab ANTONIO CARLISLE, Prof. Acad. Reg. prolata.

Male evenit diversis modis, raro et perquam raro ob sphacelum via sanguini nutrienti impervia, cujus unicum novi exemplum in aneurismate poplitæo jam antea aliam ob causam perstricto: huic occurrendum dum frigeat membrum lana ovina involvere non ineptum erit, sic calore ad vitam fovendam necessario retento, sed ne oblitum sit ut brevi tempore supra modum recalescet membrum et tunc calore dispergendo opus sit ne ad phlogosin opportunum reddat. Quovis die ante vel sub tempus in quo decidant ligamina aliquando obvenit sanguinis profusio, vel ob arteriam non probe clausam et agglutinatam, et idcirco decidente ligamine, sanguinis

D

guinis impulsu reseratam, vel ob arteriam exulceratam, vel gangræna infectam : omnia mali ominis et plerumque rem in malam partem abituram prædicentia. Inter alias post vulnera sanguinis profusiones aliam commonefacit illustrissimus Professor Chirurgiæ Militaris, Dr J. THOMSON, intra vicesimum et tricesimum quintum diem nulla magna, revera nulla cognita arteria profusam, diathese phlogistica laborantibus accidentem et præsertim diæta lautiore fruentibus, iis sanguinis profusionibus sine vi externa membranis mucosis provenientibus quam simillimam \*. Semel iterumque mihi contigit, et videre et audire aneurismatum exempla ob similem rationem in malam abeuntium partem, quorum alterum præ aliis ad rem ita pertinuit, ut sit mihi fas pauca de eo accepta loqui. Aneurismatis poplitæi fuit exemplum operatione Hunteriana quam probissime tractatum ab amico Ro. HEADINGTON, anno excunte 1800; ad diem sextam vel septimam omnia bene succes-

serant,

\* " Report of Cases after the Battle of Waterloo."

26

serant, eo autem die supervenit epistaxis, adhibita venæsectio et diæta parcior, (ulcere nullo modo male affecto), non obstiterunt quin paucis post diebus sanguis ab arteria eruperit et subinde repetita sanguinis profusione confectus fuerit æger. Omnibus hujuscemodi exemplis quæ vidi, sanguinis profusio antequam deciderint ligamina supervenit, ulcus pure laudabili, et bullis sanis carnosis obductum, et pene nihil patuit talem rei exitum præmonens. Similiter exiit membri amputatio ob aneurisma poplitæum judicatum nimis provectum ad operationem solitam admittendam. Quo pendeat non mihi omnino liquet, vel ab arteria morbo afflicta adeoque viribus medicatricibus non opportuna, vel ab ægri diathese peculiari, vel hisce duobus conjunctis, non in aperto est. Sed denique hæc omnia ad infelicem ducentia exitum sic raro superveniunt, et ne superveniant, nunc sic optimis consiliis occursum est, ut vix nemo non assentiet mihi affirmanti aneurisma externum e morbis lethiferis chirurgia hodierna ereptum.

Omnia quæ disserui ad omne spectant aneurisma externum, et ni res quædam singularis obstiterit

28

stiterit in singulis exequenda erunt: opus autem exactum censendum non mihi fas est, nisi pauca de singulis aneurismatibus externis superdixerim.

Aneurisma poplitæum.-Vix ullum sæpius in conspectum venit quam aneurisma poplitæum. In hoc nil obstat quin omnia quæ monui exquisite administrentur; in hoc igitur præcipue perspectum fuit quid singula profecerint . Arteria femoralis superficialis in hoc duobus locis deliganda et intercidenda antequam sub musculum sartorium cursum tenuerit, cura habita ne una deligati nervus saphænus, nervus cutaneus internus, qui a lateribus, aut vena comes quæ altius connexi sunt. HUNTER et ABERNETHY venam una cum arteria deligaverunt, et, ut mihi inexpectatum foret, nihil inauspicato proveniente, sed nemo his fretus simile audeat. Vena saphæna ne incisa in quibusdam timorem dedit, sed facilis visu, facilis vitatu erit. Vulneris oras semotas tenere Dr A. C. HUTCHINSON instrumentum speculo oculi Pellieriano simile commodum fore dixit, sed mihi parum utile videtur.

Aneurisma

Aneurisma femorale et inguinale .- In aneurismate femorali arteria inguinalis, in inguinali arteria iliaca externa deliganda: utroque vena ab interno sita est latere, nervus cruralis anterior pone latus externum cursum tenet, sed vagina crurali et fascia iliaca sejunctus operationem nihil impedit. His singulis nos penes non est nisi arteriam unico deligandi ligamine, et sæpe non satis a morbo distante quin aliquando, ut ABER-NETHY primo occurrit exemplo, is sequelis implicatus fuerit. ABERNETHY, FREER, TOMLINson, his aneurismatibus operationem in usum produxerunt. Amicus HEADINTON, anno 1816, aneurismati inguinali adhibuit operationem, et prorsus feliciter longo post ligamina deciderant quum nullam ob causam evidentem, vulnere bene se habente, et aneurismate recedente, prorupit sanguinis profluvium, iterum identidemque intra paucos dies repetitum, et tandem ad mortem ducens, afflicto nullum remedium administrari permittente, et ejus post obitum propinquis (Judæi erant) sectioni anatomicæ æque strenue pernegantibus.

Aneurisma

Aneurisma gluteale..—JOANNES BELL in aneurismate gluteali traumatico, multis jam annis præteritis, operationis cruentæ et truculentæ ope arteriam gluteam deligavit, et ultimo ægrum e morbo eripuit. Huic quoque aneurismati primus adhibuit operationem Hunterianam Gu-LIELMUS STEVENS, A. D. 1812, arteria iliaca interna incisa et deligata ; ægra fuit mulier Afra, insula Americana dicta Sanctæ Crucis vitam trahens \*. Mira confitenda est solertia, mira vix non projecta audacia operationis ; an vero in usum ventura sit incertus hæreo.

Aneurisma carotideum.—Chirurgiæ hodiernæ imperium vix nullo magis prolatum fuit quam ASTLEY COOPER, cui inter alia multa debet operationem Hunterianam in aneurismate carotideo. Exemplum primum cui adhibitum male evenit, ob sequelas jam antea dictas nimia procrastinatione proventas, sed aliis jam nunc multis exemplis a COOPER, TRAVERS, aliisque adhibita fuit, cum eventu non minus felice quam in quovis

\* Med. Chir. Trans. vol. v.

quovis alio aneurismate. Hoc in aneurismate arteria carotis communis parte cervicis inferiore incidenda, duobus si res patitur ligaminibus deliganda et intercidenda, cura ad venam jugularem internam, nervum parem vagum ab externo, nervum recurrentem ab interno ejus latere habita.

Idem ASTLEY COOPER supradictus, et de quo vere dici potest, " Nil actum reputat, dum quid supersit agendum," fretus duobus exemplis aortæ juxta arcum impeditæ, sanguinis circuitu nihilominus per alias continuato vias, et etiam periculis propriis canibus institutis, ligamine circumplicavit aortam abdominalem pro aneurismate iliacæ externæ, homine annos triginta octo nato. Talis fuit proventus ut ne citius ad operationem confugisse solum pœnitendum videretur; nam morbus nimis provectus, et idcirco sanguinem nutrientem membri ejusdem lateris præpediens, mortis causa fuit proxima; sed pro casu aliisque quam plurimis omni dignis cognitione remitto, ad tractatum ipsius COOPER, in opere dicto " Surgical Essays by A. COOPER, &c. part i."

Aneurisma

32

Aneurisma axillare.—Inter omnia cui adhibita fuit operatio, præter gluteale, difficillime executa est in aneurismate axillari : arteria axillaris vix egressa a musculis scalenis infra claviculam cursum tenens, eoque osse impediente ne facile detegamus, et vena et nervis multis proxime connexa incidenda et unico ligamine deliganda. His autem impedientibus non arcentibus, in hoc felice quoque cum exitu ad operationem se contulerunt KEATE, RAMSDEN, et alii.

Aneurisma humerale.—Unicum cognovi exemplum aneurismatis humeralis, in ancone siti ; operatione Hunteriana ad felicem ducti exitum, arteria humerali brachio medio incisa solitoque modo deligata ; nonnulli autem pro incerto habuerunt ne potius in hoc ad operationem veterem confugiendum, præ metu aneurismatis progredientis, ramis anastomoticis satis magnis sanguinem ei inducere, impetuque sufficiente ne arteria clausa fuerit. Hoc aneurisma si traumaticum quod olim percreberrime et nunc etiam identidem contingit, et omnia alia aneurismata externa,

externa, e.g. radiale, ulnare, tibiale anticum, tibiale posticum, et similia, omnibus conventum est, et exemplis non raris perspectum fuit, ab operatione vetere occurrenda sunt. Hisce nam omnibus operatio Hunteriana sæpe impar, semper incerta ad optatam attingere metam. Operatio vetus absolvitur tumore incidendo, cruore emovendo, et arteria super infraque saccum deliganda. Hæc operatio ÆT10 inventori tribuitur; et quod sane singulare, idem dicitur præmonuisse Hunterianam, non medendi quidem causa, sed ut propriam solum curationem et jam obsoletam, ad feliciorem eventum deduceret.

Sed opus exigo superdicens, quid non potuit chirurgia hodierna consilio ducta probo, arte freta anatomica; nec sine timore, ne dum brevis esse laboraverim, obscurus factus fuerim.

# FINIS,

externa, e. g. radiale, ulnare, tibiale anticum; thinle posticum, et similie, consibus conventum est, ef exemplis non raris perspectum fuit, ab operatione vetere occurrenda sunt. Histe num consibus operatio Hunteriana sape impar, semera incerta ad optatam attingère metam. Oge bilio vetas absolvitar tumore incidendo, cruone denorendo, et arteria super infraque sacrum deligibile. Hac operatio Erro inventori tribuitur; et quod sade singulare, idem dicitar pastur, et quod sade singulare, idem dicitar pascuma, sed ut propriam solum curationem et jam obsoletum, ad feliciorem eventum deduceret.

Sed opus exigo superdicens, quid non pomit librargia hedierna consilio ducta probo, arte reta sustomica, nec sine timore, ne dum brevis se laboraveria, obscurus factus fuerim.











